



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthviani, Natione Bavari,  
Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

Orationibvs Variis, Et Ignitis aspirationum iaculis ad Deum, Deiparam  
Virginem Mariam, cæterosq[ue] Sanctos - exercitijs item diuersis, tum  
maximè Paßionis Dominicæ, eiusq[ue] matris, refertißimus

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Actio gratiarum pro Iesu post varias pœnas & illusiones ad morte[m]  
damnatione. Cap. VII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45928](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-45928)

alienam facias. Non reperiatur vñquam in seruo tuo, quod superbiam aut vanitatem redoleat: sed da mihi eorū contritum semper & compunctum: cor, inquam, dulcis Iesu secundum cor tuum, quod charitate ardenterissima, & compassione intima semper sic vulneratum, quod tui desiderium, tui memoriam semper in se tenet, te semper cogitet, in te pascatur, in te requiescat, qui es vñica pax animi (extra te enim nihil nisi durum, nil nisi afflictuum) & à te nunquam recedat, sed de cetera omnipotenzia tua semper gubernetur & dirigatur. Et igniti amoris tui quæso me purpura vestias, ut per totam vitam meam pœnitentia spinis sensualitatem & carnem meam coronem, & gnauiter persequear, ut sic post hanc vitam me rear gloria æternacoronari, Amen.

*Aclamatio gratiarum pro Iesu post varias penas & illusiones ad mortem damnatione.*

## C A P V T VII.

**G**loria gaudium, decus & corona omnium Sanctorum & amicorum tuorum Christe Iesu, ex toto corde & omnium beatorum affectu adoro, laudo, & gratias ago tibi pro afflictione & contemptu maximo, quibus tunc vnde que afficiebaris, quam sic flagellis laceratus, spinis illitus, purpura amictus, manibus ligatus, & arundine pro sceptro doratus, & tantis affectus poenis & miserijs, Esa. 53, vt quasi nouissimus virorum factus neque speciem habens, neque decorum, educeris coram omni populo, miserabile effectus omnibus spectaculum, & audires Ioh. 19, vñanimi voce clamantes: Crucifige, crucifige. Tolle, tolle eum, sanguis eius super nos. & Luc. 23, super filios nostros. Deinde post hæc omnia tanquam impius & malignus malefactor Matth. 27, ad tribunal Pilati adductus es, ut condemnareris, ibiq; astans inter feroces canes, & rabidos lupos agnus mitissimus, post varias & iniquas eorum accusationes, & longam crebramq; iudicis examinationem, audires super te & contra te iniurissime proferri terribilem illam sententiam ignominiosæ crucis, atque dirissimæ & contemptibilissimæ mortis.

*Pro patientia & misericordia, pro sui examinatione, iudicacione, peccatorum absolutione & saluatione, Precatio VII.*

**O**blecro te amantissime Iesu per immensam pietatem, per magnam patientiam & humilitatem, & per mansuetudinem tuam, quam ostendisti in omnibus tribulationibus & angustijs quas pertulisti pro nobis, largire mihi, vt nulli vñquam noceam, nullum affigam aut etiam contristem aliquo mordaci aut molesto verbo aut sermone, sed semper leuis sim omnibus, mitis & patiens corde & opere. Et da quoque vt vere & perfectè agnoscam & eligam, atque perpetuò confitear corde, ore & opere te vnicum animæ meæ regem & Dominum, qui solus es creator & redemptor meus. Concede quoque mihi propitius, vt benedicti sanguinis tui virtus, efficaciter in me indignum famulum tuum & super parentes meos, fratres & sorores atque super omnes amicos & inimicos meos descendat, & operetur in nobis salubrem passionis tue fructum & effectum.

Præterea obsecro te clemētissime Iesu, vt tua me gratia adeò impleas, stabilias & confirmes, vt nunquam æternæ damnationis reus inueniar, sed quotidie distracta